

erogacionem aliquam ampliorem in hac parte obligari seu artari decreuimus per presentes. Item statuimus firmiter obseruandum, quod nulli omnino hominum, cuiuscumque condicionis, status aut eminencie fuerit, clerico seu layco, negociaciones aliquas seu contractus rerum venalium in locis aliquibus penes r. . . enses [s: rurenses] preterquam in villa forensi predicta quomodolibet liceat exercere, nisi quantum quis pro vestibis sibi ac familie sue emere voluerit, prout penam amissionis xl:ta marcharum denariorum, quas pro causa nostra, dicta ensak, specialiter computari volumus, decreuerit euitare. Quas quidem xl:ta marchas de quolibet huiusmodi nostre ordinationis paruipensore per duodecim de prouincia, quam inhabitat, per aduocatum nostrum et villanos nominatim deputandos, et duos fidedignos de nefnda nostra maiore irreinissibiliter volumus extorqueri. In quorum omnium testimonium et euidenciam firmiorem sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum et actum Junæcopie in presencia nostra anno Domini millesimo ccc°xlno nono feria sexta infra octauas natiuitatis beate virginis.

På frånsidan med 1500-talets stil: Pa tollen i Sudercøping och Lødisa.

Sigillet borta.

4484.

1349 Sept. 21.

Saba.

Abboten Rangvald i Alvastra medgifver på begäran af fru Ramfrid, enka efter Birger Røriksson, men nu mera herr Karl Tukesons maka, att herr Enar, vare sig han blir abbot i Saba eller ej, må komma i åtnjutande af den jord i Rypstad vid Söderköping, som hennes man gifvit till den affidne abboten Henrik, på samma vilkor, under hvilka denne innehaft den.

Orig. på perg. i Sv. Riksark.

Pateat vniuersis, tam posteris quam presentibus et potissime Cysterkiensis ordinis professoribus, quorum i[n]terest vel interesse poterit in futurum, nos fratrem Ragnwaldum, abbatem Aluastre, post obitum venerabilis patris domini Hinrici bone memorie, abbatis in Saba, anno Domini m°ccc°xl°nono die beati Mathei apostoli et ewangeliste visitacionis officium in predicta filia nostra Saba peregrisse et quendam nobilem dominam, dominam Ramfridim, quondam relictam Byrgheri Røriksson et nunc consortem domini Karoli Tukason, coram nobis et conuentu in loco predicto presentem extitisse seque de futuris periculis de bonis sibi a Deo collatis largiter cupientem preuenire nobisque firmiter instabat(!), vt donacionem, quam Byrgherus Rørixson, que prouisioni domini Hinrici, quondam abbatis, fuerat colligata, de bonis in Rypstadhum iuxta Sudhircopiam sita(!) cum agris, pratis, pascuis, siluis, molendinis ac eorum singulorum subiacenciis, cum ipsius domine plenarie velle et conuentus deliberacione domino Enaro secundum pristinam collacionem facero(!): quod et annuimus tam propter domine petitionem, quam eciam conuentus deliberacionem, vt idem dominus Enarus prouisionem temporalem habeat ad dies suos, siue fuerit abbas siue simpliciter in conuentu, secundum tenorem litterarum, super premissis prius confectarum. Insuper eidem domino Enaro committimus, vt secundum consuetudinem cure animarum predicti Byrgheri et eius consortis ac illorum parentum insistere non negligat, prout in audiencia nostra et domine predictæ se vouit faciendum, duasque missas omni ebdomada, vnam de spiritu sancto et aliam de domina nostra,

cum pitancia duorum dierum conuentui facienda, cum solempni officio defunctorum, cum missa solempni in die, dum anniuersarium agitur B. supradicti, et vno die pauperes in vno prandio pascere, dum pitancia agitur, non omittat, ita tamen quod, quidquid de predictorum bonorum obuencionibus superfuerit, vsibus predicti domini Enari et sub eius ordinacione maneant inconcusse, nec de redditibus, que superfuerint, eodem(!) domine neque eius heredibus tenatur(!) aliquod raciocinium explicare neque alia grauamina eidem domino Enaro a quoquam hominum de cetero erunt inponenda, videlicet conuentuales, qu[i hu]iusmodi gracia sunt fouendi ordinacionem nostram pro grato habeant nec eum in aliquo presumant molestare. In cuius rei euidentiam firmiorem sigillum nostrum vna cum sigillis conuentus in Saba, necnon et generosi domini domini Karoli Tukason et eius consortis domine Ramfridis Bændicsdottir presentibus est appensum. Datum anno et die quibus supra.

Sigillen: n. 1 (andligt): . FRIS . . IS IN ALVASTR. (Sv. Sig. fr. Medelt. I, 2, 211); n. 2 Saba klostera: s' CONVENTVS . SANCTE MARIE . SABA . (Sv. Sig. fr. Medelt. I, 2, 214); n. 3 borta; n. 4 (R omkring ett A): s' RAMFRIDIS . BENDIZDOTIR . (Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 726).

Brefvet är på ett par ställen söndrigt.

4485.

1349 Sept. 23.

Villa nova.

Påfven Clemens 6:s resolutioner på ansökingar af biskop Johan i Åbo för Elof Petersson, prest från Linköpings stift, och Stefan Jakobsson från samma stift om andliga lägenheter.

Påf. registr. i Vatik. ark. Clem. VI. Reg. Supplicat. an. VIII. p. 1 fol. 17 v.  
Tryckt eft. P. A. Munchs afskrift.

Supplicat S. V. humilis creatura uestra frater Johannes, diuina ac sedis apostolice gracia episcopus Abiensis(!), quatenus sibi in persona dilecti famili(!) sui Elau Petri, clerici Lincopensis diocesis, specialem gratiam facientes eidem de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante ad collationem, prouisionem, presentationem seu quamuis aliam dispositionem episcopi Strenginensis, si quod in ciuitate vel diocesi Strenginensi vacat ad presens vel quam primum vacauerit, eidem de benignitate apostolica dignemini misericorditer prouidere cum acceptatione, inhibitione, reseruacione, decreto et clausula anteferri et cum omnibus aliis non obstantibus et clausulis oportunitis et executoribus ut in forma. *Fiat etc. R.*

Item supplicat S. V. idem episcopus, quatenus sibi consimilem gratiam facientes in persona dilecti sui Stephani Jacobi, presbyteri Lincopensis diocesis, ad collationem, presentationem, prouisionem seu quamuis aliam dispositionem episcopi Lincopensis etc. ut supra. *Fiat etc. R.* Et quod transeat sine alia lectione. *Fiat R.*

Datum apud Villam nouam Auinionensis diocesis ix kal. Octobr. [pontificatus nostri] anno octauo.